

phia et magis in ea negetur ipsius peccati originis imputatio, recte dicimus eandem excusare. De hac sententia disputat BAYLE *Diction. Critic. T. III. v. Rimini not. a.*

§. XVI.

Sicut actiones impossibiles natura tales omiffiuae, cum committi non possunt, nullam admittunt imputationem; ita nec eae, quae casu fiunt, cuiquam imputari possunt.

*) Casum, quem nulla quidem humana providentia auertere potuit, tunc recte imputabimus, si alterius factum concurrat, ut vel profuerit vel nocuerit. Sic v. g. Equus commodatus iam triduo ante domino reddendus, non vero redditus, fulminis ictu perit. Imputabitur, non quod fulminis ictu perit, sed quod iusto non redditus fuerat tempore.

§. XVII.

An iuris ignorantia in foro iuris naturalis excuset, an imputari possit, dubitant: et magis est eandem imputari posse, quum huius iuris facillima sit cognitio,

*) Equidem TREVERVS ad *Pufend. L. I. c. I. §. 21. n. I.* inuincibilem iuris ignorantiam deprehendi in infante recens nato, arbitratur, quae imputari non posset. Sed cum infans inter homines morales ob defectum
vñus